



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

106 Iuravi & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

da est, ne deficiente pabulo lumen deficiat; & oleo nutrienda, quod à te Iesu luminosissime, per multa infusoria in nostras lucernas deriuatur; idque in vasis semper habendum, ne cum fatuis Virginibus excludamur. Non extinguatur Domine in nocte lucerna mea: luceat semper, & ardeat. Primò, vt à furibus insidiantibus, & perfodientibus custodire me valeam. Secundò, ne in tenebris ambulans, etiam domi, vbi nemo me videt nisi tu, id est, in occultis cordis mei corruam, offendam, & crura, caputve lædam. Tertio, vt quemadmodum decet filium lucis, & diei, in omnibus honestè ambulem, & recta opera in lumine faciam, non quæ in obscuro fieri consueuerunt. Denique, vt, cum veneris, & pulsaueris, confestim aperiam tibi, & reuertenti à nuptijs lætus occurram. Quam ob causam & præcinctis lumbis, & lucernas manu tenentem ardentem, vigilare, ac præstolari me iubes.

106 Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

**Firmissimum propositum necessarium.**

**L**Vx ipsa, qua distantiam boni, mali que cognoui, efficaciter mouit me, vt firmissimè statuerem, & iuramento me obstringerem seruare legem tuam, quam iudicia iustissima agnosco. Firmissimum autem propositum, & omnino efficax de-

fide-

fiderium necessarium est, vt legem ser-  
 uem aduersus quam lex membrorum, quæ *Rom. 7.*  
 intima est, & innata tā pertinaciter & cō-  
 cupiscit, & pugnat, imò & captiuat. Nec  
 leuia proposita, aut imperfectæ volunta-  
 tes, seu velleitates sufficiunt, ne cadamus in  
 id, quod valemus; si id, quod nondum va-  
 lemus, non tantum volumus, quantum sat  
 est, vt valeamus. Et scimus te, cum  
 hostes populi tui Philistæos terrere Domi-  
 nus voluisses, fragore magno intonuisse. *1. Reg. 7.*  
 Quia tepida desideria nostra hostem nec  
 prosternunt, nec fugant: fragor autem  
 magnus, id est, feruor sancti desiderij, qui  
 à te immittitur, hic spiritualem hostem  
 debellat.

107 Humiliatus sum vsquequaque Do-  
 mine: viuifica me secundum ver-  
 bum tuum.

ET quidem in afflictionibus, quibus *Iusti hu-*  
 valde afflictus sum, in tua misericordia *miliatio*  
 speravi quia promissis tuis confortatus *maxima*  
 sum, per quæ sperantibus, & clamantibus *lex mem-*  
 ad te liberationem, & vitam pollicitus *brorum.*  
 es. Sed quæ maior humiliatio, quam vt in  
 me sentiam, vnde carne seruiam legi pec-  
 cati? Certè humiliatus sum nimis, & in *Psal. 115.*  
 excessu, & pauore meo dixi. Omnis ho-  
 mo mendax: quia saluare non potest. *Rom. 7.*  
 Quis ergo me liberabit de corpore mortis

X 5 hu-